



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

48. Postrema disput. cum Bonziis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

rettò suffragio temporum, venerandis probari. Quapropter, con-  
cludebat doctus è somniorum exedra professor, haud minora de-  
beri Amidæ reparatori orbis, quam Deo conditori. Sed hoc  
mendacium nobile vir sanctus, tam facillè ludibrio exposuit, vt ne  
ipsi quidem aduersarij obstarent, pergique ad alia poscerent. At-  
enim, dum pro se sua quisque cerratim, ingerunt, haud scio  
quo pacto in rixas erupere; iurgari ergo inter se muliebriter,  
conuictiari thralonicè, & ralsicitatis, superbix, ignorantix inui-  
cem notare; verè quidem, sed ingrato adstantibus strepitu, qui  
tamen, captando ex iis ludo, in mutuam illos contumeliam pro-  
rirabant, donec verbis in pugnos proximè desituris, indignatus  
Princeps, increpitos abegit, & in Reginæ gynecæum concessit;  
Lusitani sanctum vt soliti erant domum comitati, noctem cum  
illo partim colloquiis de Deo, partim somno duxere.

48 Die proximè insequenti, animi gratia cum paucis Rex  
prodit, & data opera prateruehitur ædes in quibus Apostolus  
cum suis morabatur; aulicum mittit qui suos in hortos illi con-  
dicat ad venationem, moneatque arma secum ferre ad configen-  
dum saltem miluorum par, ex iis qui septem numero exculpere  
ipsi pridè oculos tentarant. Vidit statim vic sanctus venationem  
esse disputationem, & miluos Bonzios, accurrit festinus actif-  
que Regi demississime gratis, manu prehensus per summam ve-  
bis frequentiam ab eo in regiam ducitur, letis eo honore qui  
assèctabantur Lusitanis; ciuibus multum attonitis tam aperta sin-  
gularis affèctus ostentatione. Opperiebantur in aula Bonzij, ade-  
rant nobiles, vel spectaturi, vel arbitraturi. Prima impressione  
Bonzij libellum obrudunt, quo prouocabant à sententiis iudi-  
cum, & dijudicata restitui volebant in integrum, vt ea denuo  
examinarentur, sed iniquum petere censi sunt, tum quòd pactis ad-  
missis contrarium, tum quòd Rex, diceret, admetiri sermones tempori  
decere; Lusitanos, & cum iis Xaueriam, vela post triduum facturos;  
molestum esse, atque importunum, disputata recoquere, & matris  
probata sententiis, fidei dubix subdere; si quid noui haberent, liberè  
promerent; sin minus, bona aui abirent. Conuoluto itaque li-  
bello; aliò signa conuerterunt. Fucarondoni quidem vt erant  
ridiculæ accusationes, ita leui flatu vanuere. Exprobrabat il-  
le Xauerio Deum ab eo vocari *Diusam*, & seu malitiosè siue  
ignoranter *Dios*, & *Diusam*, quod mendacium Iaponiis sonat,  
criminosè vnà confundebat; tum quòd Christiani post rem sacram  
ab eo peractam, ritu supplici Sanctos inuocarent, Sancte  
Petre, Sancte Paule, &c. quæ apud Iapones vox *Sancte* ob-  
scœna est, dolebat scilicet innocens, & religiosus sycophan-  
ta; beatis in cœlo iniuriam fieri: prius crimen Xauerius di-  
luit

48  
Postrema  
disput. cum  
Bonzis.



luit distortæ vocis sublato æquiuoco. Alterum beati vocabulo in sancti locum reposito, ad fœdam speciem cogitationis occursum amouendam. Fuit grauius pondus trium quæ sequuntur quæstionum, & quintum huius certaminis diem actumque confecerunt, sed scriptor Lusitanus qui præsens, quæ Bonzius, quæ Xauerius diceret in suo diario adnotabat, cum eas per otium, & quibus solutæ fuerant responsiones perscriberet, difficultate victus argumenti, maluit quod erat fateri se militem literis tinctum vix mediocriter, quàm Theologum audere, & quæ nec sua ephemeris explicabat, nec satis reddebat memoria scribere. Prima percontatio hæc erat, vel præcipiebat animo Deus fore Luciferum cum suis sequacibus sibi perduellem, inferisque damnandum, vel id Deum latebat; & siquidem latuit; falsò planè iactas infinitam eius scientiam; vel si prospexit, & hoc ab iis, tantum malum eorum, ac nostrum creatione omissa defendere noluit, inde arguitur multo peior; aut ergo annue ignorantem si nesciit; aut crudelem, & malignum si sciens voluit, quæ dum loqueretur, assidenti sibi Lusitanorum Præfecto Xauerius: Audin? ait, pessimum dæmonem ore Bonziji huius vaferrimi debacchantem. Non multum huic absimile rogauit alius, cur nimirum Adamum creasset Deus, si prænouerat iussa infracturum, nosque ruina eadem acturum præcipites? aut videns nutantem in lubrico, & cupiditatis suæ lænocinio proximè superandum, cur eum illico non soluit in puluerem ex quo erat concretus. Demum primis duobus curiosior etiam, & subtilior tertius. Si nostri generis ab ipsis mundi cunabulis, labes cœpit, cur, ait, præsens illi remedium Deus non attulit, sed in tot reiectum secula, tandem aliquando nostra causa corporatus, & moriens illud adhibuit? Quod enim illorum qui eius aduentum præcesserant, tantum nefas; aut eorum qui postea nati sunt tam præstans meritum, vt ij tot afficerentur damnis propterea; isti tot obruerentur, & affluerent bonis? hæc supra quam homini fas esset arcana, & grandia scrutatos Bonzios instinctu dæmonis nemo non videat; & quidam etiam tam occultæ comprehensionis, vt solus id ab se sciri voluisse videatur Deus, quale est de illo ante omne præfixo æuum, saluti per Christum afferendæ momento. Verum quod ethnici ratione ducantur aptius, quàm iudiciorum diuinorum veneratione humili, atque attonita, quæ perfectorum est; à faciliore respondere aggressus Xauerius, negauit eum idcirco crimen alterius velle, quod illud futurum prospiciat; naturam vero liberam per sese, ac sui arbitrij compotem, ad bonum non cogere,



gere, sed in mali delectu, id ei permittere, ut aduersus ipsummet libertatis auctorem libertate insita utatur; hoc vero ad eius peccatum nihil conferre; nec villo propterea conditorem æquitatis iure aut pietatis, debuisse peccatum præuerrere, creatione abstinendo, vel destruendo iam conditam, quin nec hominem in seclum prolapsam, in suam gratiam reuocare; quod tamen Christus sumptu suo ingenti, mortæque admodum præstitisset, quæ licet, in tempus dilata, sapientissimo ipsius probatum, definitumque consilio, medicinam tamen præbere vulnere, ut primum inflicto est cœpit; fructusque, olim fundendi sanguinis iam tum primi legere mortales, salutem, & gratiam redepti, nec parè in posteros uti volentes distributam. At enim, ut solent aliquo ingenio homines, controuersias nequere tum graues, tum valde implexas, quarum deinde solutioni capiendæ, nec par ingenium nacti sunt nec necessarias notiones, & ab altioribus accersendas Principiis; cæcutiebant hic Bonziji, & supplere vociferatione turbulenta debilitatem ingenij nitebantur; negabantque tam pertinaciter quàm dementer, prima & cuius manifesta rationis humanæ elementa, quod consequentibus illorum inuolui se ab Xauerio, & stringi sentirent: in quo extra modestiæ lineas tam intemperanter progressi sunt, ut Rex molestiam non ferens confurgeret, Deoque linguam eius mouente, ut dæmon os Bonziis mouerat, absurdè illos agere admoneret, si repugnando sperabant se illa percepruros, quæ nisi credendo non possent intelligi. Porro ad legem conuellendam tam firmis solidam fundamentis alia esse exerenda arma, alias machinas præter conuitia, pernicitiam, & spumas, quibus dictis manu Xauerium extra palatium perhumaniter eductum inuisitata comitate affectantibus Lusitanis, & aulicis, in hospitium reduxit. Bonziis plurimum iratis, & in Regem ignes, & fulmina de cælo vocantibus.

49 Hic finis concertationum aduersus Bonzios, & commo-  
rationis inter Iapones quadriennis, per quam Christo ardens  
Apostolus, nomen illius ab usque Cangoxima quod primum ap-  
pulerat ad magnum Meacum propagauit. Die postero, Nouem-  
bris 20. anni 1551. Rege vltimum salutato, inter Christiano-  
rum lacrimas, & votorum nuncupationes pro eius reditu Funai-  
o excessit. Conscendere cum illo Matthæus, & Bernardus de  
quibus antea, & Regis eiusdem ad Proregem de amicitia iun-  
genda, & Patre in locum Xauerij mittendo legatus. Septiduum,  
insulam auris, & mari prospero raserunt Meleitorem usque Me-  
nacensis Regis ditionem; inde sinum quendam præteruecti, alto

49  
Ex Iaponia  
discedens,  
seua repel-  
latur.